

res, De regul. juris, ibi: « Omnis res per quascunque causas nascitur, per eandem dissolvitur. » Et sic Glossa communiter recepta in Clementin. *Et si principalis* 2. verb. *Per electionem*, De rescriptis, ibi: « De officiali, quem episcopus ad nutum amovere potest. »

(29. In tali tamen remotione est semper habenda ratio honoris ipsius: unde facienda est cum magna circumspectione, et cum gravi et justa causa, alias reintegrari potest per sacram congregationem Episcoporum. Sic declaravit eadem sacra congregatio Episcoporum, in *Spalaten* 3 Julii 1610, et in *Traurien* 7 Septembris, et 8 Octobris 1649.

(30. Causæ autem justæ, pro quibus removeri potest vicarius generalis, sunt præsertim sequentes: prima est, si de vicario audiantur multæ querelæ. Sacra congreg. Episc. in *Spalaten* 5 Febr. 1601.

(31. Secunda est, quando non bene regit et gubernat, nec certiore facit sacram congregationem de causis magni momenti in defectu, vel absentia episcopi. Sac. congr. Episc., in *Agrigentinæ* et in *Tranen* 3 Decembris ejusdem anni.

(32. Tertia, si scribat irreverenter ad sacram congregationem, ejusque DD. officiales. Sacra congreg. Episcoporum, in *Reatina* 3 Septembr. 1601.

(33. Quarta, si aliquem ex S. R. E. cardinalibus ea, qua decet, reverentia non tractet. Sac. congreg. Episc., in *Savon* 19 Nov. 1655.

(34. Quinta, si careat circumspectione et prudentia, licet in reliquis idoneus esset. Sac. congreg. Episc., in *Placentina* 11 Sept. 1601.

(35. Sexta, si excommunicatus existat. Sacra congreg. Episc., in *Placentina* 18 Jun. 1649.

(36. Septima, si mandatis sacre congreg. obedire renuat. Sac. congreg. Episc., in *Parmen* 17 Aug. 1649.

(37. Octava, si oriundus fuerit ex eadem civitate, vel diocesi. Sac. congreg. Episc., in *Ostunen* 28 Julii 1587, in *Spalaten* 9 Martii 1593, in *Senogallien* 10 Feb. 1598, in *Pistorien* 19 Octobris 1625, et in *Sutrina* 16 Novembris 1640.

(38. Nona, si sit regularis. Sac. congreg. Episc., in *Justinopolitana* 16 Octobris 1616, et in *Spalaten* 12 Aprilis 1619.

(39. Tertiò, expirat vicarii generalis jurisdictio per mortem naturalem episcopi: vicarius enim eandem habet jurisdictionem cum episcopo, idemque tribunal, cap. *Non putamus* 2, De consuetudine in 6, cap. *Romana* 3, De appellationibus in 6, cum similibus, adeoque, cessante per mortem naturalem jurisdictione episcopi, cessat etiam illa vicarii generalis, quia, ut habetur in cap. *Accessorium* 42, De regul. juris in 6, « Accessorium naturam sequi congruit principalis. »

(40. Valent tamen gesta a vicario ignorante mortem episcopi longe distantis; si etiam talis mors ignoretur communiter ab

aliis, quia error communis dat jurisdictionem, l. *Barbarius*, ff. *De officio prætoris*; et sic tenet Sperell., decis. 30, *Fori ecclesiasticæ*, num. 3, citans Rotam, decis. 1, alias 46, *De officio vicarii* in nov.; Sanchez, lib. III, *De Matrimon.*, disp. 22, n. 29; Gratian., *Disceptat. forens.*, cap. 18, n. 50; Barbosa cit. alleg. 54, n. 152; Reiffenstuel, lib. I, *Decretal.*, tit. 28, n. 104; Pelleg., *De vicario gener. episcoporum*, part. I, sect. II, subsect. 6, num. 10, et alii passim.

(41. Quarto, expirat jurisdictione vicarii generalis per translationem episcopi ad alium episcopatum: cum enim per translationem ad alium episcopatum cesset episcopi jurisdictione in primo episcopatu, ita etiam cessat jurisdictione ipsius vicarii generalis. Glossa, in cap. *Si propter* 10, verb. *Vocabunt*, De rescriptis in 6, et communis doctorum, per text. in cap. *Inter corporalia* 2, et cap. *Licet* 4, De translatione episcopi. Vide verb. *CAPITULUM*, art. 3, n. 31.

(42. Quinto, expirat per depositionem vel relegationem episcopi. Tunc enim vacat Ecclesia, et eligi debet vicarius capitularis, adeoque cessat jurisdictione vicarii generalis. Vide d. verb. *CAPITULUM*, art. 3, n. 35.

(43. Sexto, expirat jurisdictione vicarii generalis per renuntiationem episcopatus factam ab episcopo et a Papa admissam, quia etiam in tali casu eligi debet vicarius capitularis. Vide *ibid.*, n. 54.

(44. Septimo, expirat per legitimum ingressum episcopi in aliquam religionem. Vide *ibid.*, n. 33.

(45. Octavo, expirat per captivitatem episcopi. Vide *ibid.*, n. 32.

(46. Nono, expirat jurisdictione vicarii generalis, suspensa episcopi jurisdictione per excommunicationem, suspensionem aut interdictum; cum enim eadem sit jurisdictione, idemque tribunal vicarii et episcopi; cap. *Non putamus* 2, De consuetudine in 6, et cap. *Romana* 3, De appellationibus in 6, cum similibus, cessante seu suspensa jurisdictione episcopi, cessat et remanet suspensa etiam jurisdictione ipsius vicarii generalis: siquidem, ut habetur in cap. *Accessorium* 42, De regulis juris in 6, *Accessorium naturam sequi congruit principalis*. Sic Glossa communiter recepta in cap. *Romana* 1, verb. *Ipsius*, De officio vicarii in 6, recte subjungens quod tunc adeundus sit Papa, ut provideat.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(47. De præcedentia vicarii generalis non conveniunt doctores. Vide Manrique Ferr., *De præcedent. et prælat. ecclesiast.*, quæst. 52, n. 2 et 3. (48. Et quod notandum est, quisque pro sua opinione resolutiones allegat sacrarum congregationum. (49. Id ex eo evenit quod in obscuro est, an quæ allegatur resolutio, ea innixa sit nudæ juris dispositioni, an peculiari illius Ecclesiæ consuetudini.

(50. Mihi autem ea semper arrisit sententia, quod vicarius generalis in iis actibus præcedentiam obtinere debeat super ipsas

ecclesiasticas dignitates, in quibus uti vicarius generalis intervenit. (51. Cæterum si res sit in actibus, in quibus ita non intervenit, nulla ipsi præcedentia debetur. (52. Atque hinc quod si vicarius generalis sit canonicus, et divinis officiis uti canonicus interveniat, nullam obtinet præcedentiam ratione muneris vicarii generalis. Confer Du Casse, in *Prax. jurisdict. voluntar. et contentios.*, tom. I, sect. 2, n. 1.

(53. Dubitari vero contingit, an vicarius generalis in illis actibus, in quibus intervenit uti vicarius generalis, præcedentiam debeat obtinere, præsertim etiam episcopo? (54. Magis vero in hac quæstione variant doctores. Affirmant Pignatell., *Consult. canon.*, tom. III, consult. 64, n. 3; Robustius Rotæ olim auditor in quodam suo voto apud Gratianum, *Discept. forens.*, cap. 3, num. 23; Anton. de Pret., *De jurisdict. episcop.*, cap. 6, fer. per tot.; Lotter., *De re benefic.*, lib. I, q. 16, n. 65; Sbroz, *De offic. vicar.*, lib. II, quæst. 24, fere per tot.; Carol. Anton. de Luca, *ad Ventrigl.*, t. II, adnot. 14, § 2, n. 1.

(55. Negant vero Menoch., consil. 51 et 217, utrobique fere per tot.; Marescot., *Variar. resolut.* lib. III, cap. 69, pariter fere per tot. Adde etiam Ventriglia, tom. II, adnot. 14, § 2, num. 19 et plur. sequent.; Manrique Ferr., *De præcedent. et prælat. ecclesiast.*, quæst. 52, n. 6.

RESPONSIO AUCTORIS.

(56. His, quæ hic adducuntur circa præcedentiam vicarii generalis, consonant omnino, quæ ego ipse jam tradidi in hoc articulo n. 10 et seq. et n. 12, ubi ex variis decretis asserui, quod vicarius generalis debet habere primum locum ante capitulum, canonicos et dignitates, tam præsertim quam absente episcopo, si interveniat uti vicarius generalis, non autem si uti canonicus, et in habitu canonicali; et quia etiam circa hoc variant doctores diversas afferentes hinc inde sacrarum congregationum resolutiones, ad ipsas conciliandas servanda est cujusque Ecclesiæ inveterata legitima consuetudo, argument. leg., *De quibus* 32, ff. *De legibus*, ibi: « Inveterata consuetudo pro lege non immerito custoditur. » Et l. *Sed et ea* 35, ff. eodem, ibi: « Sed et ea, quæ longa consuetudine comprobata sunt, ac per annos plurimos observata, velut tacita civium conventio, non minus quam ea, quæ scripta sunt, jura servantur; » cum similibus. Sicque etiam censuit sac. cong. Rit., in *Alexandrina* 15 Martii 1607, in respons. ad 3 dubium; ut jam tradidi ego in hoc art., n. 1, ibi: « Locus vicarii generalis debet esse secundum consuetudinem Ecclesiæ, quæ non est mutanda. »

ARTICULUS IV.

Quoad differentias vertentes inter vicarium generalem, capitularem et foraneum,

Præstat hæc adnotare.

(1. Prima differentia inter vicarium generalem et capitularem est quod vicarius ca-

pitularis debet esse doctor, si adsit, alias electio est nulla, ut dictum est sub verb. *CAPITULUM*, art. 5, n. 51. Vicarius vero generalis potest aliquando esse non doctor, maxime quando episc. est jurista, ut dictum est *supra*, art. 1, n. 39.

(2. Secunda differentia est, quod vicarius capitularis post electionem legitime factam non potest a capitulo ad libitum removeri, ut patet ex dictis sub verb. *VICARIUS CAPITULARIS*, art. 1, n. 55. Vicarius autem generalis potest ad nutum et arbitrium amoveri, quodcumque illi placuerit, ut conclusum est *articulo antecedenti*, n. 28.

(3. Tertia differentia est, quod vicarius capitularis non potest esse nisi unus tantum, ex dictis sub verbo *CAPITULUM*, art. 3, n. 40. Vicarius autem generalis potest esse non solum unus, sed et plures deputari possunt ex dictis *sup.* art. 1, a n. 8.

(4. Quarta differentia est, quod vicarius generalis potest constitui ab episcopo cum limitatione et sine limitatione, dando illi majorem vel minorem facultatem, prout sibi placuerit, ut tenet Communis doctorum, et docet praxis, patetque ex dictis *supra* tot. art. 2. Vicarius vero capitularis non, ut patet ex dictis sub verb. *VICARIUS CAPITULARIS*, art. 1, n. 34 cum seq.

(5. Quinta differentia est, quod vicarius generalis possit esse quilibet exterius ad libitum episcopi: imo tenetur episcopus exterius eligere, ex dictis *supra* art. 1, n. 34 et 35. Vicarius autem capitularis debet esse de gremio capituli, si adsit idoneus, ex dictis sub verb. *VICARIUS CAPITULARIS*, art. 1, n. 6, et verb. *CAPITULUM*, art. 3, n. 50.

(6. Sexta differentia est, quod vicarius generalis nequit exercere totam jurisdictionem episcopi absque speciali ejus mandato, ut patet ex *supradictis* art. 2, a n. 16 ad 84, et habetur expresse in cap. *Licet* 2, et cap. *Cum in generali* 3, De officio vicarii in 6. Vicarius autem capitularis statim ac est legitime electus, totam jurisdictionem capituli exercere potest absque speciali ejus mandato, præsertim ubi talis viget praxis, et consuetudo, ut patet ex dictis sub verb. *VICARIUS CAPITULARIS*, art. 2, n. 40.

(7. Septima differentia est, quod vicarii capitularis jurisdictione incipit post mortem naturalem aut civilem episcopi, ut patet ex dictis sub verb. *VICARIUS CAPITULARIS*, art. 1, a n. 1 ad 11. Econtra autem vicarii generalis jurisdictione per mortem naturalem aut civilem episcopi finitur, ut patet ex dictis art. *anteced.* a n. 39 usque in fin.

(8. Octava differentia est, quod vicarius capitularis continuat suam jurisdictionem usquedum novus episcopus capiat realem possessionem episcopatus, ex dictis sub verb. *VICARIUS CAPITULARIS*, art. 1, n. 56. Vicarius vero generalis non continuat eam usque dum novus episcopus capiat dictam realem possessionem episcopatus, sed solum usquedum translatio episcopi ad aliam Ecclesiam admissa est in consistorio etiam ante eaptam a novo episcopo realem episcopatus possessionem, ut patet ex dictis

sub verb. VICARIUS CAPITULARIS, art. 1, n. 7, et sub verb. CAPITULUM, n. 31.

(9. Nona differentia est, quod vicarius capitularis, si sit canonicus, lucratur fructus et distributiones, etiamsi choro non intersit, si ad id adsit consuetudo; ut patet ex dictis sub verb. VICARIUS CAPITULARIS, art. 1, n. 50. Vicarius autem generalis, si sit canonicus, non lucratur distributiones, nisi choro intersit, etiamsi adsit ad id consuetudo, ut patet ex dictis supra art. 2, n. 85.

(10. Decima differentia est, quod vicarius capitularis nequit concedere licentiam erigendi nova monasteria et conventus, ex dictis sub verb. VICARIUS CAPITULARIS, art. 2, n. 66. Vicarius autem generalis cum speciali mandato episcopi id potest ex supra dictis art. 2, n. 43. Quoad hoc tamen sunt hodie observandæ ultimæ dispositiones Apostolicæ, allatæ sub verb. CONVENTUS, art. 1 per tot.

(11. Undecima differentia est, quod vicarius generalis, finito officio vicariatus, non tenetur stare syndicatui, ut expressè declaratum fuit a Gregorio XIII, in quadam constitutione directa clero et communitati Tarentina, cuius præcisa verba refert Barbosa allegat. 54, n. 183, ibi: « Statuimus et mandamus quod vicarii, et officiales, sive generales, sive particulares etiam foranei nuncupati, per eundem archiepiscopum, sive ejus pro tempore successores in dicta Ecclesia Tarentina, sive ejus diocesi deputati vel deputandi, ad aliquem syndicatam nullo modo teneantur, aut eidem sub quovis prætextu sint obnoxii. » Et ratio est, quia, si ipsi erraverint, episcopi statim providebunt, prout justum fuerit, ut declaravit sac. cong. Episc., in Tarentina 20 Aug. 1601, et prius in Brundusina 13 Octobris 1592, apud Pellegr., loc. cit., part. 1, sect. 2, subsect. 6, n. 21, et sect. 4, subsect. 4, n. 14. Vicarius autem capitularis, finito officio vicariatus, tenetur stare syndicatui, et reddere rationem episcopo successori, etiamsi reddidisset illam capitulo, et ab eo, seu a deputatis, vel syndicatoribus ipsius obtinisset liberationem, juxta dispositionem concilii Tridentini session. xxiv, De reformat., cap. 16, ibi: « Rationem exigat. » Et sic declaravit sacra cong. Concil. 8 Aprilis 1595, ad d. caput 16, sect. 24, De reformat. Et sic etiam censuit sacra cong. Episcop., in Catanensi 13 Januar. 1600, et in Hydruntina 19 Maii 1623. Vide verb. EPISCOPUS artic. 6, n. 13 et 14.

(12. * Duodecima differentia est, quod vicar. gener. non potest absque speciali mandato cognoscere causas criminal., privare beneficio, etc.; bene vero vicarius capitularis, quippe capitulum succedit in ordinari. jurisdic. episcopi. DD. Com.*

(13. Alias differentias affert Pellegrin., cit. sect. 4, subsect. 4, n. 10, 11 et 13, nempe quod vicarius capitularis salarium non conventum petere possit, non vero vicarius generalis. Quod vicarius generalis possit exsequi litteras Apostolicas directas

suo prædecessori, sive episcopo prædecessori episcopi, qui illum constituit; vicarius vero capitularis non possit illas exsequi. Quod vicarius capitularis non possit ex levi causa recusari ut suspectus; vicarius autem generalis possit; sed vide apud ipsum.

(14. Vicarius generalis differt a vicario foraneo; primo, quia a vicario generali non datur appellatio ad episcopum, ex dictis supra art. 1, num. 43. Bene tamen a vicario foraneo. Rota decis. 297, n. 3, part. II, divers.; Garcias, part. v De benefic., cap. 8, n. 29; Barbosa, cit. allegat. 54, n. 22, cum plurimis ibi citatis, et alii passim, teste Reiffenst., lib. I Decretal., tit. 28, n. 18

(14 bis. Secundo, quia vicarius generalis potest esse delegatus Papæ, et executor litterarum Apostolicarum, ut patet ex dictis supra art. 2, n. 10, non sic autem vicarius foraneus. textu expresso in Clement. Et si principalis 2, De rescriptis, ibi: « In officiali autem foraneo... nequaquam hoc volumus observari; » juncto ejus summario, et Glossa communiter recepta ibidem, verb. Foraneo.

(15. Tertio, quia vicarius generalis est in dignitate constitutus. Glossa, in cit. Clementin. Et si principalis, verb. Episcopi, et verb. Foraneo, et Communis doctorum; secus vero vicarius foraneus, nisi dignitas aliunde ipsi competat. Glossa, loco cit., verb. Foraneo, et doctores commun.

(16. Quarto, quia vicarius generalis habet jurisdictionem ordinariam, ut patet ex dictis supra art. 1, n. 41. Vicarius autem foraneus solum delegatam. Glossa in citat. Clement. Et si principalis, verb. Foraneo; Rota decis. 3, De officio vicarii; Garcias, De beneficiis, part. v, cap. 8, n. 29 et 34; Barbosa, cit. alleg. 54, n. 22, cum pluribus ibi citatis; Reiffenstuel, loc. c., n. 21; Sanchez, lib. III, De matrimo., disp. 29, n. 10, testans de communi.

(17. Quinto, quia, ut alia taceantur, vicarius foraneus, nisi specialiter eximatur, dependet a vicario generali, et non econtra, ut docet communis doctorum, et patet in praxi.

(18. Vicarius capitularis differt a vicario foraneo: primo, quia vicarius capitularis habet jurisdictionem ordinariam, et quidem ampliorem, quam vicarius generalis, cum succedat in omnem jurisdictionem competentem episcopo de jure communi, ut patet ex dictis sub verb. VICARIUS CAPITULARIS, art. 1, n. 1. Vicarius autem foraneus solum delegatam, ut ex dictis supra n. 6.

(19. Secundo, quia a vicario foraneo appellatur ad vicarium capitularem, et non econtra. Communis et certa.

(20. Tertio, quia vicarius foraneus potest constitui et removeri a vicario capitulari, et non econtra. Communis, ac certa.

(21. Quarto, quia vicarius capitularis tenetur stare syndicatui, et reddere rationem episcopo successori, non sic autem vicarius foraneus, cum ipse vicarius foraneus, si erraverit, possit statim puniri ac

removeri a vicario capitulari, ut patet ex suprascriptis n. 11.

(22. Quinto, quia, ut alia taceantur, plurima potest vicarius capitularis, quæ non potest vicarius foraneus, ut patet ex dictis sub verb. VICARIUS CAPITULARIS, art. 2 per tot., et verb. VICARIUS FORANEUS.

(23. Vicarius generalis in jurisdictione idem habet cum episcopo tribunal, ita ut ab uno ad alterum non detur appellatio. Benedictus XIV, De synodo diocesana lib. II, cap. 8, n. 2, ex sacris canonibus jam adductis supra art. 1, n. 41 ad 44. (24. Multa tamen nequit sine speciali mandato episcopi, adeoque sine tali speciali mandato, nec potest synodum diocesanam convocare. Idem, ibid., n. 2, 3 et 4. Vide art. 2, supra per tot., ubi fuse enumerantur ea, quæ potest vel non potest vicarius generalis. (25. Debet, jubente episcopo, interesse synodo diocesana; (26. et expedit, ut episcopus id velit; idem, ibidem, lib. III, cap. 3, n. 2, 3 et 4. (27. Non potest synodalis examinatoris munus exercere sub nomine appellativo vicariatus; idem, ibid., lib. IV, cap. 7, n. 5, et decreto sacrae congreg. Concil. in Polycastren. Parochialis die 19 Septembris 1745, quamvis in Thesuro resolut. referatur sub die 18 ejusdem anni. Vide tom. III, verb. EXAMEN, EXAMINATORES, n. 25, ubi afferuntur alia ad rem. (28. Vicarius generalis in synodo sedet immediate post episcopum; idem, ibidem, lib. III, n. 2. (29. Nisi legitima consuetudo alteri faveat; idem, ibid., n. 3. (30. Aut dignitates et canonici sacris vestibus induti assistant. (31. Secus si vicario consuetudo faveat, aut ipse etiam habitu prælati sit indutus. Idem, ibid., n. 4, ubi ad id plura scite et erudite suo more adducit.

(32. Vicarius metropolitani in synodis provincialibus antefertur episcopis suffraganeis, ob auctoritatem, quam obtinet, et ratione personæ, quam repræsentat. Benedict. XIV, tom. II, constitut. 36 incip. Cum a nobis.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(33. Si in capitulo non sit, nisi unus doctor, posse eligi vicarium capitularem non doctorem, ne coarctetur libertas electionis, tradit cardinal. de Luca ad conc. Trid., discurs. 31, n. 10 et 12.

(34. At doctrina hæc cardinalis de Luca improbat fuit, et quidem pluries a sacra congregatione Concilii interprete, rescribendo pro nullitate electionis in vicarium capitularem expletæ de persona, quæ gradum doctoris in publica universitate haud fuerat assecuta, quando in capitulo aderat unicus doctor, ut in Venusina Vicarii capitularis 6 Augusti 1702, in Acernen. Vicarii capitularis 23 Februarii 1709, et in Alexanen. Vicarii capitularis 17 Decemb. 1712.

(35. « Et merito (inquit episcopus Riganti De protonot. Apostol., dissertat. 20, n. 31 et seq.), siquidem in jure prohibita solum est coarctatio illa, quæ fit ab inferiori a Papa arctante electores ad eligendas certas perso-

nas in individuo. At quando lex præscribit, ut eligantur personæ habentes certas qualitates ad bonum publicum et majorem Ecclesiæ utilitatem tendentes, hinc non est proprie coarctatio, nec infringitur libertas electionis, si unus tantummodo adsit inter eligendos, qui sit iis qualitatibus præditus, ut bene perpendit Passerinus, etc. Imo etiam superiores, qui sint a Papa inferiores, posse in his terminis limitare electiones ad personas hujusmodi qualitatibus munitas, cum per eas haud lædatur jus sive eligentium, sive electorum, ut tradit idem Passerinus, etc., exemplumque habemus in provinciis regularium, in quibus viget alternativa quoad prælaturas et officia: si enim in provincia, quæ est in turno, unus tantum habilis existat ad consequendam prælaturam aut aliud officium, is necessario eligi debet, ut in ordine prædicatorum servatum fuisse sub magistro generali Rodulpho homine doctissimo, referunt Passerinus, » etc.

DE VICARIO GENERALI ARCHIEPISCOPI, SEU METROPOLITANI, ET DE VICARIO CAPITULI SEDE METROPOLITANA VACANTE.

APPENDIX EDITORUM CASINENSIVM.

(1. Hac in re notandum, quod eandem jurisdictionem et auctoritatem retinent vicarii archiepiscoporum, ac habent ipsi archiepiscopi, si mandatum generale et speciale habeant, ut omnia et singula facere possint in his, quæ jurisdictionis sunt, ut ipsismet facere permittitur, ubi de consuetudine non prohiberentur, ut docent DD. in cap. Pastoralis, De offic. ordinari., et in cap. Romana, De foro comp. in 6. — Pellegrin., Prax. vicar., part. I, sect. 3, subsect. 2, n. 49.

(2. Hinc porro causæ appellationum a sententiis vicariorum episcoporum ad tribunal archiepiscopi per ipsius vicarium cognoscuntur, cap. Pastoralis, De offic. ordinari., cap. Dilectus, cap. Cum causam, cap. Sollicitudinem, De appellat. Ac in genere « omnia, quæ referuntur ad archiepiscopi jurisdictionem, ea similiter quibusdam tantum ordinis episcopalis exceptis, ad ipsius vicarium generalem mandatum speciale habentem spectant. » Pellegrin. cit. part. I, sect. 3, subsect. 1, n. 5.

(3. Limita vero, quod non possit vicarius archiepiscopi suspendere, interdicere, et excommunicare suffraganeos præsentem archiepiscopo, id est existente in provincia, idque propter reverentiam episcopalis dignitatis, cap. 2, De offic. delegat. in 6; Sbroz, De vicar. episc., lib. II, q. 58, n. 3; Pellegrin., ibid., sect. 3, subsect. 2, n. 32; Ventriglia, part. II, adnotat. 14, § 1, n. 39, ubi hæc habet: « Vicarius generalis archiepiscopi non habet jurisdictionem in episcopos suffraganeos sine speciali commissione, cap. Romana, § Officiales, De offic. ordinari. in 6, nisi quando archiepiscopus est absens, tunc enim vicarius habebit in dictos suffraganeos jurisdictionem, cum facultate proferendi sententias excommunicationis, interdicti et suspensionis. » Eadem habentur apud Pellegrinum, loc. et n. cit., qui ibidem addit: « Quod si episcopus non fuerit consecratus,

etiam presente archiepiscopo, illum excommunicare poterit. » Cucch., *Inst. can.*, lib. iv, tit. *De consecrat. episc.*, n. 6, et tit. *De vicar. episc.*, n. 123; Sbroz uti supra, n. 3.

(4. Quæritur hinc, an liceat vicario generali archiepiscopi inhibere suffraganeis sub pœna excommunicationis?

« Respondetur negative, cap. 2 *De offic. delegat.*, ubi Glossa ... Quod est valde notandum ab omnibus ordinariis et delegatis apostolicis, quando inhibent episcopis, ne in errorem incidant. Ratio est quia vicarius archiepiscopi non potest ferre sententiam, vel exercere jurisdictionem, vel promulgare censuras ecclesiasticas in suffraganeos existente in provincia archiepiscopo ... quod procedit propter reverentiam dignitatis episcopalis. Sed intelligitur de sententia definitiva censurarum, et non quando vicarius generalis metropolitanus inhiberet sub pœna suspensionis seu interdicti. » Sic Pellegr., cit. part. 1, sect. 3, subsect. 1, n. 21. Atque ad rem citat Bertach. et Zerol.

(5. Quoad vero vicarium capituli sede metropolitana vacante, illud utique præmittendum, quod « capitulum Ecclesiæ metropolitanæ una cum archiepiscopo, non solum efformat corpus cathedraicum propriæ Ecclesiæ propriæque diœcesis, in qua prælatus gerit personam episcopi et ordinarii loci, sed etiam efformat corpus metropolitanicum cum jurisdictione in suffraganeos, totaque provincia, in qua pariter capitulum sede vacante succedit. » De Luca, *Relat. Rom. Curia*, disc. 3, n. 30.

(6. Hinc porro est, quod si episcopo suffraganeo decedente vel deposito, etc., Ecclesia illa capitulo careat, vel alias illius capitulum infra octo dies ad normam *Tridentini*, sess. xxiv, cap. 16, *De reformat.*, ad vicarium constituendum non deveniat, tunc vicarii hujusmodi deputatio non ad antiquiorem suffraganeum, sed ad capitulum metropolitanum, metropolitana sede vacante, omnimode spectat, ut declaravit quoad primum casum sac. cong. Concil. die 28 Augusti 1673. Secundo, « an vacante suffraganea Ecclesia, quæ capitulo careat, illius administratio, et vicarii deputatio pertineat ad metropolitanum? Et quatenus metropolitana Ecclesia pastore careat. Tertio, an pertineat ad capitulum Ecclesiæ metropolitanæ, vel potius ad antiquiorem suffraganeum episcopum? ... » Sacra cong. die prædicta respondit: « Ad primum affirmative; » ad secundum, « ad

capitulum metropolitanum. » Apud cardinal. Petra, *Comment. ad constitut. Apost.* tom. I, const. 2 Leon. IX, sect. 5, n. 36. — Quod idem est tenendum, ubi capitulum Ecclesiæ suffraganeæ ad electionem vicarii ad formam concil. *Trident.* non procederet.

(7. Quippe « capitulum metropolitanæ (ut docet idem clariss. Petra, *ibid.*, n. 37) habet superioritatem in Ecclesiis suffraganeis, ut bene in extravag. *Salvator*, De præbend. et dignitat., ubi in vers. *Et quia*, eximit Ecclesiæ Tholosanam ab omni jurisdictione et subjectione archiepiscopi et capituli Ecclesiæ Narbonensis, et sic supponit subjectionem Ecclesiæ suffraganeæ capitulo metropolitanæ ... Unde (prosequitur Petra), etsi concilium non exprimat casum capituli metropolitanæ, ut supplere possit negligentiam Ecclesiæ suffraganeæ in constitutione vicarii capitularis, non est dubitandum, quin intelligi debeat venire sub nomine archiepiscopi, quia devolvitur totum jus istius ad capitulum. »

(8. Limita quantum ad convocationem conc. provincialis, quæ per capitulum Ecclesiæ metropolitanæ. Sede vacante, fieri non potest, quo casu ad antiquiorem episc. suffraganeum illam cogere spectat. Quippe concil. *Trid.*, sess. xxiv, cap. 2, edixit, quod « metropolitani per se ipsos, seu illis impeditis, coepiscopus antiquior non prætermittat synodum cogere, » etc. Et profecto ante concilium id juris competebat capitulo metropolitanæ, ut Quaranta, in *Sum. Bull.*, v. *Concil. provinciale* ante n. 3, habet in hæc verba: « Ex verbis *Trident.* colligitur, hodie cessare potestatem capituli metropolitanæ sede vacante illud celebrandi ac suffraganeos convocandi, licet ante ipsum concil. *Trid.*, id poterat. » Quod idem tenet Petra cit. tom. I ad const. 2 Leon. IX, § 5, n. 38, ibi: « Ante concilium competebat hoc jus capitulo. »

(9. Hinc sac. congregatio Concil., in *Tarracon.* 10 Febr. 1624 ad dubium: « An capitulum Tarracon. possit, sede archiepiscopali vacante, indicere ac celebrare concilium provinciale; an vero hæc facultas spectet ad antiquiorem episcopum ejus provinciæ; » respondit, « jus provinciale concilium indicendi ac celebrandi sede vacante, non ad capitulum metropolitanum, sed ad antiquiorem provincie episcopum spectare. » Apud Bened. XIV, *De synod. diœces.*, lib. II, cap. 9, n. 8. *Vid. v. CONCIL.*, art. 2.

VICARIUS PAROCHIALIS.

De vicario parochiali hæc speciatim adnotanda.

(1. Vicarius parochialis alius est perpetuus, et alius temporalis seu amovibilis. Abbas, in cap. *Exstirpanda*, § *Qui vero*, num. 5, *De præbend.*; Azorius, *Institut. moral.*, part. III, lib. III, cap. 6; Barbosa, *Juris ecclesiast. univers.*, lib. III, cap. 9, n. 2; Layman, *Theol. moral.*, lib. IV, tract. 2, cap. 5, num. 8; Pellegr., *Prax. vicariorum*, part. I, sect. 8, n. 1, et alii passim.

(2. Vicarius perpetuus est, et dicitur ille, qui auctoritate episcopi canonice est institutus ad deservendum cuiusdam Ecclesiæ, loco principalis rectoris cum assignatione congruæ portionis fructuum, quos inde percipere debet. Sic in re communis doctorum, cum Glossa in cap. *Ex part.* 6, verb. *Perpetuos*, De officio vicarii. (3. Vicarius temporalis seu amovibilis est et dicitur ille,

qui auctoritate legitimi superioris pro pergendo ecclesiastico servitio in locum alterius ad tempus, seu voluntatem constituentis sufficitur. Est in re Communis.

(4. Institutio vicarii perpetui pertinet ad ordinarium loci, quamvis regulariter ea fieri debeat ad præsentationem seu nominationem rectoris principalis, sive illorum, quorum dignitati, vel capitulo seu monasterio ecclesia parochialis est perpetuo unita et annexa. Barbosa *loc. cit.*, num. 35; Navarrus, consil. 11, *De statu monachorum*, n. 3 et 7; Garcias, *De benefic.*, part. IX, cap. 2, n. 289; Gallet, in *Margarita casuum conscientia*, verb. *Vicarius* 3; Riccius, in *Praxi fori ecclesiastic.*, resol. 358, n. 1, vers. 2; Ugolinus, *De offic. episcoporum*, cap. 50, § 3, vers. *Octavo*, Reiffenstuel, lib. I *Decretal.*, tit. 28, num. 26; Pirrhing, *ibid.*, num. 3, referentes sic decisum fuisse a sacra congregat. Concilii, ad sess. VII, cap. 7, *De reformat.* Et clare desumitur ex cap. *De monachis* 12, *De præbend.*, et cap. unic. *De capellis monachorum*, et Clementin. 1 *De jure patronat.*, ubi tales vicarii dicuntur institui per episcopum ad præsentationem rectoris principalis, vel hujusmodi.

(5. Et quod vicarius perpetuus non possit ab ordinario poni in monasteriis, quibus cura imminet animarum, vel a principio, vel ratione unionis et annexionis, sed tantum a superioribus eorum, prævio tamen examine ipsius ordinarii, statuit expresse S. Pius V. constitut. incip. *Ad exsequendum* ibi: « Volumus insuper, et ita mandamus, quod dicti vicarii perpetui, non ad liberam ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum ecclesiis unitis ponentur, cum ipsorum ordinariorum seu eorum vicariorum prævio examine et approbatione deputentur. » Et sic pluries declarasse etiam sac. cong. Concil. referunt Garcias, *De benefic.*, part. IX, cap. 2, num. 294 et seq.; Barbosa, lib. III *Juris ecclesiastic. univers.*, cap. 6, n. 45, et supra concil. *Tridentini*, sess. VII, cap. 7, num. 28, et in *Summa Apostolic. dec.*, verb. *Vicarius perpetuus parochialis*, n. 9.

(6. Et talis Piana constitutio habet locum etiam, quando vicariæ vacant in mense reservato, seu cadunt sub alia reservatione. Sac. cong. Concilii, in *Tirasonensi Vicariæ* 13 Octobris 1595, apud Garciam, *loc. cit.*, n. 309, et Barbos. cit. lib. III *Jur. eccles.*, cap. 6, num. 45, subdentes quod in hujusmodi vicariis perpetuis vacantibus in mensibus Apostolicis, seu alias reservatis, possit fieri præsentatio, seu nominatio et deputatio, non obstante reservatione.

(7. Vicarius perpetuus potest, et solet potissimum institui in parochialibus seu beneficiis curatis, quæ cathedrali, collegiatæ vel alteri ecclesiæ, seu monasterio aut collegio, vel aliis piis locis perpetuo unita et annexa reperiantur. Colligitur ex cap. *Exstirpanda* 30, § *Qui vero*, *De præbend.*, et habetur expresse statutum in concilio *Tridentino*, sess. VII, *De reformat.*, cap. 7.

(8. Sunt tamen plures casus, in quibus

episc. nequit vicarium perpetuum deputare; primo, quando beneficium est unitum et annexum monasterio regularium: tunc enim episc. non potest deputare pro ejus servitio vicar. perpetuum, sed solum temporalem, et ad nutum amovibilem, ut declaravit S. Pius V, cit. constit. incip. *Ad exsequendum*.

(9. Secundo, quando a tempore immemorabili unio facta fuit, ac extunc constat vicarios fuisse ad nutum amovibiles, scientibus et consentientibus ordinariis, et nunquam vicarium perpetuum fuisse constitutum. Barbos., cit. lib. III *Jur. eccles. univ.*, cap. 6, n. 7; Sanchez, in *Præcepta Decalogi*, tom. II, lib. VII, c. 29, n. 191, vers. *Tertio fallit*; Flores de Mena, *Variar. qq.*, q. 10, n. 44; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 28; Pellegrin., *loc. cit.*, sub n. 19, et alii.

(10. Tertio, quando unio facta est per viam pacti et concordie a Sede Apostolica approbatæ cum clausula: « Ut deserviri possit in hujusmodi beneficio per vicarium ad nutum amovibilem: » Barbosa, *loc. cit.*, n. 8; Flores de Mena, *loc. cit.*, n. 41; Sanchez, *loc. cit.*, n. 191, vers. *Secundo fallit*; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 28; Pellegrin., *loc. cit.*, sub n. 19, et alii.

(11. Quarto, quando pro bono pacis et pro tollendis litibus, ac pro meliori beneficii servitio expedit per vicarium ad nutum amovibilem Ecclesiam gubernari. Barbosa, *loc. cit.*, n. 11; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 28; Sanchez, *loc. cit.*, n. 191, vers. *Quinto fallit*; Flores de Mena, *loc. cit.*, q. 10, n. 47, et alii, arg. cit. cap. 7, conc. *Trid.*, ubi id non reliquit liberæ episcopi voluntati, sed usum est verbis arbitrium boni viri denotantibus, ibi: « Nisi ipsis ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur. »

(12. Quinto, quando ex privilegio remunerationis causa concessio beneficium est unitum cum clausula *ponendi vicarium ad nutum amovibilem*, quia in generali privilegiorum derogatione facta a *Tridentino* cit. cap. 7, non comprehenduntur privilegia remunerationis gratia concessa. Barbosa, *loc. cit.*, n. 10; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 28; Flores de Mena, *loc. cit.*, q. 10, n. 46; Pellegrin., *loc. cit.*, sub num. 19; Sanchez, *loc. cit.*, n. 191, vers. *Quarto fallit*, et alii.

(13. Sexto, quando ex privilegio Pontificio post *Tridentini* decretum concessio unitum est beneficium parochiale cum clausula *instituenti vicarium ad nutum amovibilem*, quia tale Pontificium privilegium post *Tridentinum* concessum derogaret dicto *Tridentini* decreto, cum posteriora derogent prioribus. *L. Sed et posteriores*, ff. *De legibus*, l. *Cum in plures*, § *Locator horrei*, ff. *Locati*, l. 1 in fine, ff. *De stipulat. servor.*, l. *Si unus*, § *Pactus ne peteret*, ff. *De pactis*, cum similibus. Barbosa, *loc. cit.*, n. 12; Flores de Mena, *loc. cit.*, q. 10, n. 49 et 50; Pellegrin., *loc. cit.*, sub n. 19, et alii.

(14. Vicario perpetuo debet assignari congrua portio de redditibus, fructibus et emolumentis provenientibus ecclesiæ incorporatæ monasterio, collegio, capitulo, univer-